

manus, qua nobis offert & exhibet sua beneficia, hoc est, paternam gratiam, remissionem peccatorum, & vitam æternam: Fides verò est tanquam nostra manus, qua apprehendimus & accipimus oblata Dei beneficia.

7. Tertiò, cavendum est & hoc, ne cum Sacramentariis veram Sacramentorum efficaciam enervemus: quasi tantùm sint externa signa, monumenta seu testificantia tantùm aliquid coram Ecclesia.

8. Sunt enim Sacramenta actiones ipsius Dei, qui per externum illud ministerium, promissionem singulis offerendo, exhibendo, applicando & obsignando, divina sua efficacia ea operatur & efficit, de quibus promissiones Sacramentis annexæ loquuntur.

9. Distingui sanè & possunt & debent externa ministri actio, & interna Dei operatio: non tamen divelli debent. Deus enim est, qui salvat, mundat, & regenerat; sed per lavacrum aquæ in verbo. Haftenus Dn. Chemnitius.

10. Generaliùs hanc rem ita proponimus; Sacramentum est solennis administratio certæ rei, divinam vocationem habentis, ab ipso Deo peculiari verbo instituta, & Ecclesiæ mandata, hoc fine, ut promissio Evangelii propria in ea & per eam singulis Sacramentũ sumentibus offeratur, exhibeatur, & credentibus applicetur, atq; obsignetur. Brevius sic:

*Sacra-*